OTIUM AUTUMNALE
seu
DE PICTURA POESIS VARIA
AUCTORE
CRISAURO PHILOMUSO
ARCADIÆ PASTORE
STYLO CATULLIANO.

. . . ſed quidnam tremulis facere artubus Hœdi
Conſimili in curſu poſſint, ac fortis Equi vis
Lucretius Carus.



VARSAVIÆ
Typis S. R. M. & REIPUBLICÆ in Collegio SOCIETATIS JESU

M. DCC. LXXI.
MENSE OCTOBRI.

AD LECTOREM

CArmina si tantum laudas facunda *Catulli*
Vel perfusa pari nectare *Simonidis*
Pone equidem nostras, levis est jactura, papyros
Non mea subducti est Musa supercilii.
At si *Poninskios*, Lector, si volvis *Asebios*,
Non adeo sunt hæc deteriora : lege.

PICTURÆ PROLOQUIUM

AD SPECTATORES AULÆ MARMOREÆ ARCIS REGIÆ.

SUM germana soror Pictura Poeseos: ore
Gratia par, fronti par & utrique decus.
Ludimus ingenio; vultusque & facta diserto
Illa sono: vario ast ipsa colore animo:
Namque ego picta loquor; pingit (*) facundior illa:
Pictura illa loquax, muta Poesis ego.
Non genus aut Proavi nostræ primordia stirpis
Nobilitant; etenim est *Umbra* mihi alma Parens:
Sive etenim pecoris speciem designat herilis
Lanigeram Pastor, parjete seu remanent
Mansuri vultus Juvenis, solatia amoris;
Utraque forma umbrâ ducitur à tenui,

(*) Ut Pictura Poesis erit. *Horatius.*

Atque rudimentum fuit hoc prænobilis artis,
Crefcit in immenfum cui pretium atque decus,
Cum nova per vivæ commercia lucis & umbræ
Affurgit fenfim, corporibusque animam
Effictis addit, mireque extantia membra
Dextera Pictoris dædaleusque labor:
Tum color acceffit tabulis; fua nempe venuftas
Picturæ; hinc vivunt ora animata hominum,
Jntortis flavet fplendens hinc crinibus aurum,
Hinc fpirat rofeis purpura labiolis.
Attulit & cultum mox fuccedentibus annîs
Dextera trita ufu, atque ingenium Artificum:
Hic bene dimenfum corpus partitur ad unguem,
Imprimit atque actus vultibus hic varios;
Contrahit ille artus, hic pulchré intorquet, & ille
Dat venas nervosque infpicier penitùs:
Sic me perque gradus, perque intervalla peritum
Ad laudum culmen fubvehit ingenium.
Sic magnæ Soboles mentis, rerumque Parentis
Naturæ dicor Filia, dextra Dei
Altera compellor nutu fic cuncta creantis,
Sumque immixtâ umbris luce meis, oculi
Spectantis fuavis lufus, jucunda voluptas;
Induperatorum & nobile delicium;
Sum duraturum vitæ reparabilis ævum,
Et monitrix morum, præteritique mora
Temporis; hæ mihi funt artes; in imagine fictâ

Expref-

Expreſſiſſe oculos, elicuiſſe animas;
Palleat ut metuens, lymphatus ut ardeat: ore
Floreat huic riſus, huic flagret ira, furor.
Fulmineum ſi pingo Jovem, jam Regia cæli
Porta tonat, Jovis & dextera magna rubet;
Jam trifidas ardere faces & fulmina credis.
Si Martem; Odrysii vultum animosque Dei
Horreſcis, circumque atræ formidinis ora
Irasque inſidiasque, Eumenidumque faces.
Quem non Pellæus juvenis depictus Apelle
Non terret torto fulmine? quid tabulâ
Expreſſam incendiſſe hominum ſic corda Dionem,
Credula in amplexus ut ruerit vacuos?
Quid luſum Alipede Alipedem, cum verus adhinnit
Ficto? quidve aurem pendulus, Arte, Canîs
Dum ſpirans hiat ore, Canes & decipit ipſos:
Nota Avis eſt calatho capta racemifero.
Sat notus ficto captus velamine Zeuxis,
Æterna hæc laudis ſunt monumenta meæ.
Aſpice nunc telâ arvorum fuſa æquora, & umbras
Sylvarum, nemorumque abdita frondifera,
Horroreſque tenebrarum, tacitoſque receſſus,
Aereas quercus, amnicolas ſalices,
Umbroſas fagos, & coniferas cypariſſos,
Et tilias molles, & fragiles corylos:
Aſpice præcipites altis e montibus amnes,
Mœandros tortis ſerpere & hinc pedibus;

Hinc

Hinc leni Euripos ire inter gramina curſu,
Rivorum & riguæ ductile flumen aquæ.
Aſpice ſurgentes generoſa in cornua Tauros,
Laſcivâ & Vitulos fronte, rudes operum,
Villoſos aut Valle urſos, & montibus apros
Unguibus hos, hos ciſpellere dente canes.
Ruſtica quam grata hæc ſpecies! pigmentaque noſtra
Quam belle arvorum ſpiciferam ſegetem,
Umbraſque altorum nemorum, valleſque reductas,
Ruraque, & uvidulas Naïadum latebras
Effingunt? tabulas cernis? te degere Villis
Nonne putas? audis umbriferas Platanos
Et lauros, dulci Zephiros animare ſuſurro;
Audis multijugum guttura penè avium,
Vndarum alliſus querulos, gemituſque cadentum,
Et rivos ſtrepero prata rigare ſono.
Cernis & imbelles ire herbeſcentibus agnos
Campis, pigrorum & corpora vaſta boûm:
Te tenet hinc ſcopulo Piſcator ſedulus alto
Dum piſces tremulis fallit arundinibus.
Hinc venator aprum inſequitur; clamoribus auges
Tu quoque venantum cornuaque & lituos.
Ceu ſectere feras, prædamque ſequaris anhelam,
Et canibus prope ſis mixtus odoriſequis.
Pegmata quid memorem, atque ingenti mole theatra?
Cœlum intus clauſum eſt; aſtraque pura nitent
Sol inde exoriens tollit, quos ſuſcitat, ignes.

Machina

Machina mutatur, mœnia celſa vides,
Templa attolluntur, monſtrant faſtigia turres;
Converſa arboribus ſcena viret ſubito.
Maturi pendent fructus, ſtant aurea ramis
Poma, omnes monſtrat Floraque veris opes:
Atria panduntur celſis operoſa columnis,
Atque illinc rabidis Amphitheatra feris.
Squallidus hinc carcer, credas ſtridere catenas;
Viſu hortatur Homo diſcere Juſtitiam.
Occultâ miris Tabulas volventibus arte
Machinulis ludunt mille theatra modis.
Indiviſa comes nobis Soror *Optica*, viſus
Docta, prope hinc adſtans, & procul inde migrans,
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum
Optica puncto apti denique fixa loci.
Sic arti precium facio, nomenque perito
Artifici; hinc telis Græcia clara fuit.
Quem latet arguti ingenium & manus impigra Apellis?
Cui non Protogenis Parrhaſiique labor
Dictus? & illuſtri victus certamine Zeuxis?
Fama ævi veteris nomina magna canat.
Me celebrare juvat quos formoſiſſima Tellus
Pingendi celebres protulit Italia.
Qui velut in circo concurrere frontibus æquis
Audent cum Græcis, cum Latiiſque ſimul.
Quis te ingens æquat Raphael, præclara Metauri
Fama tui, atque artis gloria prima meæ!

Altera

Altera Picturæ meta, Herculis altera meta
    Divinus *Michael* nam *Bonarota* fuit
Angelus, ingenium cui contigit acre, per omnes
    Pingendo affectus ireque docta manus;
Hos pene haud lentis *Titianus* passibus aequat,
    Cui vultus Laus est prima Virûm similes
Fingere, non est *Corregio* præstantior alter
    Membrorum in pulchris ductibus; Idalias
Diffundit Veneres tabulis *Caravagius* omnes.
    Nil Te dulce magis *Sarte*, suave magis.
Clarescit vivis audax *Giorgionius* umbris,
    Sed *Polydorus* amat prælia, tela acuit:
Gratia commendat *Durum*: Verona lepores
    Concelebrat *Pauli*: prompta alacrisque manus
Est *Tintoreto*; sed servantissimus artis
    Arpinas Lentus; judicioque vales
Zamperi; egregii exæquant miracula *Rheni*
    Vim naturæ, omnes cui rapuit Veneres.
Horum magna legis presso vestigia gressu
    Baciarelle artis altera fama meæ.
Ut *STANISLAI* tua dædala Regis imago
    Mi placet? Archetypo par ut & illa suo est?
Regia par vultus Majestas, lux par oculorum,
    Quæ terret simul atque allicit attonitos;
Par belle in membris species porrecta decoris,
    Collecta in nodum par quoque Cæsaries.
Exornat Lorica humeros, sceptrumque coruscum

Dextra

Dextra tenet; quamquam non diadema nitens,
Regia non veſtis, trabeæque inſignia Regni,
Non Sella, & ſceptrum quod grave dextra tenet,
Sed ſua Majeſtas Regem indicat eſſe Polonum.
Qualis Apellæis effigies tabulis
Pellæi Juvenis, cum ſuderat agmina victor
Perſica, & Jndi uſtos iverat ad populos.
Effigiem agnoſcunt omnes; veneratio Regis.
Irrepit; colitur Principis umbra etiam.
Participat mecum hanc equidem *Statuaria* laudem
Sed quam impar? ductus corpora per modicos
Pluribus ærumnis duro graſſata metallo
Vix tandem oſtendit, vix ſimulacra notat.
Naturam, quanta eſt, in telam mitto, nec annis
Eſt opus aut ferro; quod mihi cumque lubet
Peniculo miſtos fingo ducente colores;
Pene Parens Natura invidet atque mihi.
Sed quid plura loquor? num me in conclavia duxit
Intima Lechæis qui dominatur agris
AUGUSTUS, proprias primam & me traxit in ædes
Unam; Regalis tecta ſubito domus,
Ut per me conclave nitet! ſublime lacunar
Forte ſit an paries, cui mea dextra decus
Dædala non addat? mea quem non ſymbola ſignent?
Urbe neque in ſolâ, ruri etiam vigeo
Sic placeo *STANISLAO*; quo ſoſpite felix
Læchia nil Græcis invidet, aut Italis.

Hinc belle variis diffuſa coloribus orno
    Regia conſpicui limina *Jasdovii*:
Impleo totam arcem, totam laquearibus arctans
    Naturam, quam non aſpera lædat hyems.
Verum heu tempus edax, tuque invidioſa vetuſtas
    Omnia deſtruitis! dente venenifero
Paulatim & lentâ conſumitis omnia morte!
    Jamque ego Varſaviæ nomen inane forem,
Mecum una & Regum periiſſet imago Polonûm
    STANISLAEI ni vigor ingenii
Obſtaret. Spes ingenuarum o qui unica es Artium!
    Per quas ſpiritus & vita recens Ducibus
Poſt etiam nigra fata bonis redit, omne Tui hoc Rex
    Muneris eſt, *Clementiſſime*, quod ſupero,
Quod placeo atque tuum eſt; ſi ſpirat imago Polonûm
    Denuo priſca Ducum; ſubque manu Artificis
Poſſe loqui his licet, & veras prope fundere voces,
    Hæc miracula Tu *STANESILAE* facis,
Qui docilem *Baciarelli* regis Optime dextram,
    Qui Ingenium Artifici, *STANESILAE*, facis.
Illum rite docens, fuerit qui ſpiritus Ollis,
    Qui mores, qui habitus corporis, atque Togæ,
Quæ ſtudia, atque artes, quæ ſors, quique exitus armis
    Sit datus, & quo ſint ſemine progeniti.
Regno ideo & leges Duce ſancio *STANISLAO*:
    Stant artes reliquæ pediſſequæ ut famulæ.

Magne

Magne *Naruſczewicz* qui mella Poetica fundis
    Lojolidum ſanctis abditus in latebris,
Simonides *STANISLAI*, fama altera Vatum,
    Reddere pulchrè audax tempora præteritis,
STANISLAÆIS nunc te te poſtibus infer,
    Concedi faciles, ſcis, Tibi quippe fores
A Poniatovio: tribuat quam mollia fandi
    Tempora, ſcis, det ſeſe omnibus ut Placidum,
Ut mitem, ut comem, ut blandum, vultuque ſerenum:
    Moroſi aſperitas nulla ſupercilii
Acceſſu prohibet; cunctis data copia fandi;
    Scis quemquam alloquiis ut beet Ille ſuis.
Se exemplis gerat ut facilem melioribus addens,
    Qui Regem oblitus Rex prope civis adeſt,
Patriciaſque domos, privataque limina paſſim
    Dignatur faſtu viſere depoſito;
Publicus hinc ardeſcit amor, cùm moribus æquis
    Se inclinat Regum grande decus Populo.
Siſte *Naruſczevicz*; pretium eſt mora, pandere *Lechis*
    Tu potis es Reges ordine Sauromatas:
Æratâ tectos tunicâ quis ſcripſerit Illos
    Tu niſi, *Adame*; tui nunc erit oris opus:
Nunc dicenda tuo ſunt carmina *STANISLAO*,
    Ne tanto ah careat *Nomine* charta Tibi:
Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulchri
    Notitiam feræ poſteritatis habet

Sed quid ego oblita hæc memoro? ... quis carmina nefcit,
 Quæ duxti in Regum nomina Sauromatum,
Illa linenda cedro, & lævi fervanda cupreffo,
 Queis Venufini æquas Simonidifque modos
Omnia Mufæo verborum ita robore pollent,
 Omnia tam largo fonte fcatent Venerum.
Nulla tibi laxo voces confundit hiatu,
 Nulla coit tardo littera vafta fono;
Stridor abeft, nufquam verbum falebrofa moratur
 Afperitas, modulorum æqua fibi eft facies.
Quale ebur exactum quod caftigavit ad unguem,
 Perpoliitque manus dædala Praxitelis.
Non ego fim tanti laudatrix carminis apta,
 Nec nifi Tu, benè Te qui canat alter erit;
Qualia fenfa geram, paucis ita dicere vifum eft,
 Quo tua fcripta legens afficiarque modo.
At Tibi quas referam flagranti pectore grates
 Qui tot clara Ducum nomina & effigies
Applaufu dignas Romano verfibus ornans
 Profequeris, ponifque in lumine pierio?
Tecta fubis Regis, Duce Phæbo, atque aufpice Phæbo,
 Marmoreo telas parjete quafque vides
Tu Tibi deinde legis cytharæ argumenta difertæ,
 Picturas pingis carminibufque Tuis
Eft labor hic pretio dignus, curafque Camænæ

Penfari

Pensari æquata par Tibi lance foret;
At mihi vis impar. Tibi merces sit labor ipse.
Sit *STANISLAO* te placuisse *meo*.

In Regium Picturæ, & Sculpturæ Laboratorium.

STant geminæ hic artes, telasque, & marmora fingunt,
Illa levi, forti Hæc exprimit ora manu;
Certant. Illa Illi est affinis, & æmula fertur
Utraque discordi fœdere in effigies,
Est solida est victrix statuaria temporis: ora
Sed Pictura refert blandiùs arte suâ.
Nempe color facilis formas appingit & omnes;
Quis facili emollit marmora dura manu?
Hic tamen & dextras jungunt, atque oscula miscent
Illustres Artes, & juvat esse simul,
Sarmaticumque Booten amant; namque imperat Ingens
STANISLAUS ubi, Græcia ibi, & Latium est.

TRADUZIONE

SONETTO.

DUE sorelle quì son; di color l'una
Le tele assoda, e allevia l'altra i sassi;
Pugnan; pur son gemelle; e a render fassi
Per modi opposti il volto istesso ognuna.
Di Maestà più eccelsi tratti aduna
La scultura, e piú invitta al tempo stassi;

Ma

Ma facil forma la Pittura daſſi,
Nè vincer dee la materia importuna.
Qui s'allegra, e s'abbraccia, e ſi conforta
L'una con l'altra, e s'eccita alle prove
Scordando i bei paeſi, ond' ella è ſorta.
Non aman piú che il Sarmatico Bove;
Colá la Grecia, e il Lazio ſi traſporta,
Dove ha lo ſcettro il PONIATOWSKIO Giove.

AD SERENISSIMUM REGEM STANISLAUM AUGUSTUM

Sub Ejusdem Effigie.

DOctrinarum alter Pater heic AUGUSTUS; ab alto
Muſæ Helicone iterum mittite *Virgilium*

AD EUMDEM SERENISSIMUM.

ROma ſub *Auguſto* fuit urbs cultiſſima quondam,
Naſonique fuit quâ caruiſſe dolor.
At tunc Sarmatiæ fuerat Gens indiga cultus,
Naſonique fuit, quam coluiſſe dolor.
Sed nunc tam cultos ſi cerneret ille Polonos
STANISLAÆUM & cerneret Imperium,
Diceret AUGUSTO ne ſe revocaret in urbem,
Roma ſit exilium, Patria Varſavia.

AD DO-

AD DOMINUM BACIARELLUM
Egregium Regum Poloniæ Imaginum Artificem.

HENDECASYLLABUS.

B*Aciarelle* decus peritiorum
Picturæ Artificum, bene ut figuras
Reges Sauromatas manu peritâ!
Spirant hæ Tabulæ, loqui & videntur!
Tuum hic ingenium, indolesque lucet,
Queis peracri animas colore vultus,
Et facis tua palpitare lina;
Tantum nempe potest color, colori
Mens si vivida spiritum refundat.
O vivas meritum perennis ævum.
Phænix Artificum peritiorum.

MAGNI JOANNIS SOBIESKI
Effigies in Aula Marmorea
SERENISSIMI POLONIÆ REGIS
STANISLAI AUGUSTI.

EPIGRAMMA
Opus Eximii Baciarelli.

PEne jubet vultu, populos frenatque Polonos,
Sobieskus spirat sic prope in hac tabula.
Pingendo *Baciarellus* tumulo abstulit, ipsa
Cernitur & Magni Principis umbra loqui.
Nec vis magnæ animæ deest fronti: totaque in ore
Sobieski est virtus, pectoris atque vigor.

Hæ

Hic meruit *Magni* nomen; ſic nempe vocandus
Ille fuit, grandi qui indole Magnus erat.
Baciarelle tuâ tamen hic grandeſcit ab arte
Magnus, & eſt magno nomine major adhuc.

STANISLAI AUGUSTI
Effigies ibidem.

PEllæus ſe dat Juvenis pingendus Apelli:
Illum qui poſſet peingere, nullus erat
Baciarelle Tui Regis qui redderet ora
Nullus erat: tuus eſt nobilis iſte labor.

EIUSDEM D. BACIARELLI
Excellentiſſimæ atque Illuſtriſſimæ Comitiſſæ
POTOCIÆ
EFFIGIES

EPIGRAMMA.

NOn mirum ſi *Potociam* deſcripſeris aptè;
Baciarelle, tuum eſt pingere poſſe Deas.

IN EANDEM.

FOrmoſam finxit Cytheræam Cous Apelles,
Inter Artifices gloria prima choros:
Nunc *Baciarellus Potoſkam* pinxit; in ore
Eſt Venus, & pulchris Gratia trina genis:
Finxerat at Cous: Cytharæam hanc aſpice; dices
Fabula quæ pridem, vera modo hiſtoria eſt.

IN EAN-

IN EANDEM.

DEpinxit Venerem tabulâ olim Cous Apelles
Potocia at Venere cum ſit formoſior ipsâ,
Major erit Coo ſic *Baciarellus* Apelle.

IN EANDEM.

GAude o *Baciarelle*, Venus ſua ſidera liquit,
Gaudet & hac tabulâ degere poſſe tuâ.

IN EANDEM.

SPirat ut, ut loquitur pulchra hic *Potocia!* mirum
Hoc eſſet, tabulis conticuiſſe tuis.

IN EANDEM.

POſſe loqui hanc credas, ſunt & ſua ſenſa Tabellæ,
Nunc gemino geminas una agit ore faces.
Picta eſt, & vivâ nil differt picta *Potoſkâ*
An tabula hæc animam, qua viget, intus habet?

IN EANDEM.

VIs mira eſt Arti, vis mira coloribus, acre
Quos miſcet, doctè & temperat ingenium
Varſavia, hacce tuos colit, o Potocia, vultus
In tabulâ, & vultus pergit amare tuos.

IN EANDEM.

ODE ANACREONTICA.

QUam cernis eleganter
Compto nitere crine,
Oculiſque fulgurare,
Potoſkæ imago Divæ eſt;

Patris optimi optima illa
Gnata, optimæque Matris,
Quæ destituta nullis
Virtutibus labella
Rubentiora cocco,
Candentiora gypso
Habet ora, corda multo
Humaniora trinis
Charisin, novemque Musis.
Quin Cypride, & Minervâ,
Junone quin & ipsâ
Frontem nitentiorem,
Malas venustiores,
Oculosque nigriores,
Palmasque molliores.

DE EADEM

Depictâ a Domino Marteau.

PErdis non operam in tabulâ, *Martelle*, *Potoskæ*:
Expressisse ora hæc est labor, & pretium.

DE EADEM.

SIc bene, *Martelli*, *Potoskam* pingis, ut acri
Vivida ab ingenio palpitet illa tuo.
Cernimus hanc geminam; pictaque in imagine dextram
Miramur *Lechûm* congeminasse Decus.

DE EADEM EFFIGIE.

PEnſari duplo debes *Martelle; Potoſkam*
Dum pinxti, pinxti Palladaque, & Venerem:
Traxit ab axe Deos geminati fama Laboris,
Sidereiſque tulit nulla ſedere plagis.
Ollis manca tamen viſa eſt pictura, Dearum
Numina quod penitus ſingula non habuit.

DE EADEM.

P*Otoſkæ* tabulâ *Martellus* pinxit in iſtâ
Os, oculos, frontem, tempora, labra, genas;
Si Deus exactæ vocem ſuperadderet arti,
Non foret in Cælo pulchrior ulla Dea.

IN EANDEM.

IMITATIO ANACREONTICA.

RHodiæ Magiſter artis
Martelle, ſi *Potockam*
Pinxiſſe vis perité
Et eleganti & acri
Sequare quæſo dextrâ
Hæc noſtra dicta, ductu:
Facito comam nigrantem,
Nigricante at ſub capillo
Age frons ab uſque primis
Niteat genis eburna;

Sit nasus eleganter
Deductus, haud recurvus;
Licet hunc decere Reges
Obnuncient Poetæ;
Potoska nulla Rex est,
Regina at esse possit.
Pateant decente nares
A spiritu reclusæ:
Hæc omnia ex eburno
Volo factites colore.
Oculos nitore dulci
Subinde saltitantes
Vivo nigrore pinge;
Sint pupulæ micantes
Ut illa surgat istam
Premere, hæc eam vicissim;
Paritas tamen tenenda est
Amabili in duello,
Qualis decet sorores
Duplicem supercilî arcum
Cave misceas, secesque,
Coeant, sed id latenter
Veluti vides in illâ
Pilus hinc, & hinc nigrescat.
Malas deinde pinge
Ut sanguini recenti
Lac misceas novellum,

Rosam-

Roſamque jam recluſam
Calatho rubere pleno
Trans Lilia alba credas.
Labella ſint corallia,
Per quæ minuto hiatu
Dentis ebur niteſcat,
Lucem vibrans latendo:
Facito labella *Suadæ*
Intraque molle mentum
Per colla lævia omnes
Sint *Gratiæ* volantes:
De voce, ſi pote, ipſâ
Aliquid neceſſe pingi eſt.
Ut illa blæſula erret
Ex intimis labellis.
Supereſt ut induatur
Cœrulâ ſtolâ, puſillum
Sinus tamen pateſcat
Tumore delicato.
Quid plura? Eam ecce cerno.
Loquere jam *Potoſka*?

IN EANDEM
HENDECASYLLABUS.

HÆc eſt Lechiadum decus, *Potoſka*,
Hæc certè Charitum ſoror, *Potoſka*,
Siren Viſtulæ innocens *Potoſka*,

Non

Non cunabula jactat, inclytumque
Genus, magnanimæ aut avita Gentis
Facta, nec minium rosamque formæ,
Supra Mygdonias opes, avitum &
Genus, ingenium æstimat, colitque
Artes Pieridum politiores.
Est *Potoska* quidem, nec est *Potoska*
Namque pingere dum putat *Potoskam*
Pinxit Euphrosynem peritus Auctor.

DE EADEM

Antequam depingeret Martellus egregius Picturæ Artifex.

INsignes Ars quotquot habet tua prome colores
Si *Martelle* cupis reddere *Potociam.*
Frons ebori, pectusque nivi, sint colla ligustris
Æmula, pæstanis tinge labella rosis.
Ille genis color eniteat, quo mixta corallis
Marmora, vel quali poma rubent minio,
Candida poma: oculis debetur fulgidus ignis,
Qualis inest gemmæ, qualis inest Veneri.
Quid cœleste illis lateat face, sydereum & quid
Fac suavi obtutu surripiant animas.
Forma supercilii sit qualis Cypridis arcus,
Iridis aut flexus se ut leviter sinuat.
Hæc inter medius æquo discrimine nasus
Dividat & malas, prospiciatque labra.
Non ulli recto deductum tramite turbent
Obli-

Obliquis turpes aggeribus tumuli,
Sed tenuis se se spatiis exporrigat æquis,
Aspicere ut geminas possit utrinque genas;
Et rosa se hîc verno fundat sed parca colore,
Errans & summo spargat opes apice.
Fac sedeant blandæ molli sirenes in ore,
Et circum linguam mella susurret apis.
Jam jam egressuræ labiorum in margine voces
Promittant dulces non sine fraude sonos.
Tela licet pugnet, verborum murmura finges,
Et color insueto more disertus erit.
Justa fiet cervix, neque duro immota rigore,
Nec curva, aut nimiâ pendula mollicie,
Dulce Illa at moveat collum, ut cum Cypridis ales
Verba facit socio blandiciasque suo.
Sit manus, hybernæ cui cedant sponte pruinæ,
Et pede non tactæ prætereunte nives.
Denique non graciles tenuentur corporis artus,
Nec gravet ignavi pondus iners oneris.
Ut careat nævo, formæ nil deme vel adde;
Fac similem tantum fac sibi *Poteciam*.

AD EUNDEM.

QUi vivos spirare jubes in imagine vultus
Martelle, artifici tam celebrate manu,
Cui neque par Zeuxis, cui magnus cedat Apelles,
Et cedat nomen cui dedit *Alba Rosa* (*).

Hæc

(*) Rosalba Veneta Egregia Pictrix.

Hæc fateor de Te, poſſum quoque plura, tuo ſed
Cogor adhuc cæpto Te dubitare parem.
Nempe ut *Potoſkam* condigne effingere tentes,
Unica conſimilis quæ valet eſſe ſibi.
An non ipſe times ne victa induſtria cedat,
Æmula naturæ ſit tua dextra licet?
Naturam ſuperat vultus forma illa verendâ,
Et quo ſydereo tota micat jubare.
Solum huc uſque puta Te proluſiſſe ſupremo
Huic operi; rem nunc artis egere novæ.
Illa ſed o ſuperi! quænam eſt! aut unde petenda,
Ætas quam præſens priſcaque neſcierit.
Quid loquor? Ah inerat certe fiducia menti
Digna tuæ. Temerè me dubitaſſe pudet.
Qualis jam nobis, quantus *Martelle* videris,
Quam bene ſeque tuum prodidit ingenium!
In *Potoſkâ* inſtar quantum eſt, in imagine tantum
Apparet, pariter fulget utrumque decus.
Æquanti Venerem par ipſe exſurgere noſti,
Te haud poteras melius tradere poſt genitis,
Nam quæ Fama canet *Potoſkam* tempora tranans,
Et ſimul ipſa tuum ſera loquetur opus

DE EFFIGIE
Celſiſſimæ Principiſſæ Helenæ RADIVILIÆ
Opus Ejusdem Martelli.

R*Adviliam* peperit Dea pulchra *Oginſkia;* Eam nunc
Martelli haud peperit dextera, ſed genuit.

IN EAN-

IN EANDEM.

VErba hæc effigies faciet; ſi forte recuſat,
Tela eſt in cauſâ, non manus Artificis.

DE EADEM.

DExtera *Martelli* fortis, divina, Creatrix,
Quo, *Martelle*, tuus, quo calet igne labor!

DE EADEM.

AD SPECTATOREM.

R*Advilia* externam tabula iſtâ reſpice formam,
Suſpice at internam, quam nequis aſpicere.

AD EANDEM.

HENDECASYLLABUS.

FElix tantula quæ Tabella Divam es
Doctâ *Radviliam* æmulata dextrâ!
Felix quæ hos oculos refers & ora
Quibus par nihil, & nihil ſecundum!
Jam ne Coa Tibi Tabella certet!
Illa unam Venerem dabat tueri,
Tu das mille, dabat Tabella & illa
Ora Cypridis impudentioris,
Tu das Cypridis ora honeſtioris

IN EANDEM

HENDECASYLLABUS.

QUisquis Cœlicolûm videre vultus,
Ora & nectareo lepore plena

Cupit, *Radviliam* ille Te, tuamque
Cernat effigiem colore pictam:
Effingendo operi manum peritam
Martelli lepor & dedit venustas,
Pigmenta at Charites dedere cultæ.

IN EANDEM.

SPectantes *Radvila* picta quamvis
Rapit. Flexanimum e colore muto
Audisque eloquium Jconis disertæ.
O quæ gratia promicat sereno
Vultu! quæ rosa purpurat genarum!
Intortus, niger, elegans capillus
Bellè compositus caput coronat,
Et rident oculi, micantque clari,
Ceu sint sidereæ faces Olympi:
Hæc miracula lusitantis artis
Major ingenioso Apelle pingit
Martellus. Phrygia fuisset Idâ
Si hæc picta effigies, decora vultu,
Cum formæ pretium decentioris
Rettulit Dea mollior Cytheræ,
Spirantem Idalius putasset ille
Pastor & roseo ore pulchriorem;
Hinc & judicium alterum tulisset
Et fulvum Veneri abstulisset aurum.

IN LACUNAR
AULÆ MARMOREÆ
Opus Eximii Baciarelli.

B*Aciarelle* tuus ſi non labor iſte fuiſſet,
Non foret alterius, quam *Raphaelis* opus.

IN PULCHERRIMAS FILIOLAS
Celſiſſimæ Principiſſæ
ISABELLÆ CZARTORISKIÆ
Duabus Tabulis expreſſas, ab Egregio Martello.

BIga Puellarum proh dædala! parvula Biga,
Queis par & frons, conſimiliſque gena eſt:
Vosne in Acidaliis peperit Venus alma Roſetis?
Vos ne in Acidalio pavit Amor nemore?
Gaudia teſtantur riſu, teſtantur ocellis,
Vocis & it molli e gutture pene ſonus.
Hæc Volucrem digito geſtat, rapere illa parat ſe:
Czartoriſkiades ludite *Filiolæ*:
At Tu non ludis *Martelle*: hinc grandia pingas
Hinc parva; at ſemper maxima dextra tua eſt.

IM PARVULUM PRINCIPEM
ALEXANDRUM FELICEM CZARTORISKI.

QUis Puer eſt hic, ajs, tam blandus, tamque venuſtus?
Matrem reſpicias dixeris eſt hic amor.

AD LE-

AD LECTOREM.

NAſcentes violas verno qui tempore carpis
Has autumnales carpito delicias.
Hæc ego de multâ conſcripſi carmina nocte:
O longos poſſint vivere luciferos!
Non poterunt, dicis: nec lilia verna, ſed illa
Virgineâ videas ſæpe reſecta manu.

IN ASEBIUM.

SErpere, ajt, verſus quos ſcribo, dicit *Aſebius*
Ipſe ſuos pennis elevat Icariis.

FINIS.